

nulla de se manifesta scelera constentur, (si adit tamen in his & talibus probitas morum) ad Ecclesiasticos gradus pervenire permittunt; quanto magis ut his, qui in ipso Sacerdotio constituti penitentiam accipiunt, a sui Ordinis officio non retrahantur? Tantum si se ipsi mortalium criminum professione propria non notarunt. Hec plenius & uberius docet eruditissimus Morinus tum in commentariis de penitentia lib. 4. cap. 12. & seqq. tum in primis exercitationibus lib. 2. cap. 22. & 23. hoc ipsum Aurelianense primum Concilium can. 12. meminit Diaconorum & Presbyterorum, qui se ab altaris communione sub penitentis professione submovent, definitque, si alii defuerint, posse ex necessitate baptizare. Itaque in his sacer gradus non fuit obstaculo, quominus penitentia fungerentur.

Can. XVII. Omnes autem Basilicae, quae per diversa loca constructae sunt, vel quotidie construuntur, placuit secundum priorum canonum regulam, ut in eius Episcopi, in cuius territorio sita sunt, potestate consistant.

C. omnes Basilicae 16. qu. 7. Eodem quoque spectat Concilium III. Toletani can. 19. & habetur c. sic quidam, 10. qu. 1. Vide c. nullus laicorum, & cap. sicut domini, 16. qu. 7. & insuper in Decretalibus lib. tit. de religio. domib. & ut Episcopo sint subiectae: & tit. de capell. Monach.

Can. XVIII. Neque superstes frater totum defuncti fratris ascendat, neve se quisquam amissa uxoris sorori audeat sociare. Quod si fecerint, Ecclesiastica districtione feriuntur.

Can. XIX. Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant: & si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur, qui semel in anno in loco, ubi Episcopus elegerit, conveniant, accepta vocatione. Monachi autem Abbatibus omni se obedientia devotione subiciant. Quod si quis per contumaciam exiterit inderogatus, aut per loca aliqua evagari, aut peculiare aliquid habere presumpserit, omnia quae adquisierit, ab Abbatibus auferantur secundum regulam Monasterio profutura. Ipsi autem qui fuerint pervagari, ubi inventi fuerint, cum auxilio Episcopi tamquam fugaces sub custodia revocentur. Et eum se Abbas ille futurum esse cognoscat, qui in huiusmodi personas non regulari animadversione adstrinxerit, vel qui Monachum susceperit alienum, c. Abates pro humilitate 18. qu. 2.

Perquire superius Chalcedonenis Synodi can. 4. Et Concilium Arelatense tertium, cum ipibi observatis, & Agathensem can. 27.

Can. XXV. Ut nulli civium Pascha, Natalis Domini, vel Quinquagesima (intellige hic Pentecosten) solemnitate in villa liceat celebrare, nisi quem infirmitas probabitur tenuisse, c. nulli civium de consecr. dist. 3.

Tribus his festis olim Christiani Eucharistiam sumere tenebantur ex sanctione, quam Sancto Papae & Martyri Fabiano Gratianus adscribit post Ivonem, c. et si non frequentius: de consecr. dist. 2. & Agathensi can. 18. 23. & 64.

8. Can. XXVI. Id a Sacerdotibus omnibus decretum est, ut ante Pascha solemnitate, non Quinquagesima, sed Quadragesima tenetur, c. Sacerdotibus, de consecr. dist. 3.

Observandum est, Telesphori decreto, qui nonus a Petro Apostolo Pontificatum gessit, Clericis universis in iunctam jejunii abstinentiam per septem ante Pascha plenas hebdomadas: c. statimus: dist. 4. Quia (inquit) discreta esse debet vita Clericorum & laicorum. Ut habet ejus ad universos Episcopos epistola, & liber Pontificalis refert in ejus vita: Hic constituit, ut septem hebdomadas ante Pascha jejunium celebraretur. Id vero quia fortasse antiquatum pridem & obsoletum erat, reducit istud Concilium ad communem populi usum. Inchoatio vero jejunii a feria quarta post Quinquagesimam necdum fuerat introducta: quinetiam necdum invaluerat sub Gregorii Magni Pontificatus exordiis, quibus liquidum constat, jejunium tunc inchoari solitum feria secunda post Quadragesimam Dominicam, ut fides facit eisdem homilia 4. in Evang. quem etiam ad hujus rei probationem profert Amalarius lib. 1. de Officiis cap. 7. Non est tamen improbabile, Magnum Gregorium sub vita finem constituisse demum, ut a quarta post Quinquagesimam feria (quae nunc invaluit consuetudo) jejunium aperiretur, cum ipsius Gregorii Sacramentarium quartam istam feriam caput ac

initium jejunii esse affirmet. Suspiciuntur tamen nonnulli esse laciniam Sacramentario Gregorii postmodum allatam.

9. Can. XIX. Rogationes sive Litanias ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita ut praemissum triduum jejunium in Ascensionis Domini solemnitate solvatur. Per quod triduum servi & ancilla ab opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat. Quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis utantur.

Sidonius Apollinaris lib. 1. epistol. 7. ad Mamertum Viennensem Episcopum, hunc ipsum praedicat auctorem Rogationum, quarum praefidio civium suorum (quorum exitum & multa de caelo prodigia ac portenta, & barbarorum irruptiones interminabantur) saluti consuluerit. Haec porro evenere circa Domini annum 474. Post Mamertum Hefychius Viennae in Episcopatum. Huic successit Avitus, qui in homil. in Rogatione, sic ait: Currit tramite vitali non per Orbem totam Rogationis observantiae flumen irriguum. Iisdem verbis canon iste iteratur in Concilio Epaonenfi can. 27. & habetur c. 10. gationes, de consecr. dist. 3.

CONCILIUM EPAONENSE,

Anni a Chr. 517.

1. **C**onversus ab heresi Ariana Burgundionum Rex Sigismundus, nihil regia sollicitudine dignius habuit, quam ut Ecclesiam Christi per omnes dominationis suae terras optime constabileret, eoque sine consilio usus sancti Aviti Viennensis Episcopi, cujus studio & institutione Catholicam ad fidem accesserat: Synodum istam congregari curavit in castro Epaonenfi, quod conjunctum nonnulli situm ad Lemannum lacum fuisse, nec multum Aganno distans, seorsim ab urbium frequentia. Haud enim paucis sub Gallicanis Regibus habitae sunt Episcoporum Synodi in campestribus Regum adibus, ad quas ipsi divertere solebant ac deliciarum. Convenit ista Synodus anno Christianae epochae 517. Hormisdas Romano existente Pontifice. Interfuerunt Episcopi XXV. quibus praesedit Alcimius ipse Avitus, cui affertur Viventolus Episcopus Lugdunensis.

2. Can. III. Penitentiam professi ad Clericatum penitus non vocentur.

Fuit haec universalior Ecclesiae lex, quamvis ejus veritatem nonnullae Ecclesiae, & Concilia propriis usus & decretis limitassent. Humana enim instituta, atque adeo Ecclesiastica, plerumque involvunt commoda & incommoda, unde fit ut alicubi exactissime vigeant, alibi vero vel obsoleant, vel mitigatione temperentur. Quod idem in diversarum gentium contrariis legibus evenire conspicimus. Paulo ante contraria de penitentiam ad Clerum, & vicissim de clericorum ad penitentiam admissione, produxi exempla ad Aurelianensis Synodi primae canonem 7. Jam vero contraria illis, sed huic Epaonenfi canonem 3. conformes nonnullae inter multas alias selectae praeferebantur sunt auctoritates & decreta. Concilium Carthaginense quartum can. 56. Ex penitentibus clericus quamvis sit bonus non ordinetur. Si per ignorantiam Episcopi factum fuerit, deponatur a Clero, quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse penitentem. Strictius Romanus Pontifex epistol. ad Himerium Tarracone Episcopum c. 14. Illud quoque par fuit nos providere, ut sicut penitentiam agere non conceditur cuiquam Clericorum; ita post penitentiam, ac reconciliationem, nulli unquam liceat laicorum clericatus honorem adipisci. Similiter Leo Papa epistol. 92. alias 21. ad Rusticum Episcopum Narbonensem, inquit. 2. Alienum est a consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint consecrati, hi pro aliquo crimine suo per manus impositionem remedium accipiant penitendi. Quod proculdubio ex Apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est: Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro eo? Unde huiusmodi lapsus ad promerendam misericordiam Dei privata est expectanda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. Origenes lib. 2. contra Celsum docet, qui semel publicam penitentiam obivisset, hunc in perpetuum excludi a sacris Ordinibus, aut eorum exercitio. Praeterea dicit Augustinus lib. 1. de Baptismo contra Donat. capit. 1. Ordinis, quem ad Ecclesiam de seorsim redierit, non imponitur manus inter laicos. Sed insuper Concilium Carthaginense V. can. 11. haec statuit: Idem consue-

matum est, ut si quando Presbyteri vel Diaconi in aliqua gravius culpa convicti fuerint, qua eos & a ministerio necesse sit amovere, non eis manus tanquam penitentibus, vel tanquam fidelibus laicis imponatur. His adde apud Gratianum c. Presbyter si fornicationem, dist. 82. Ceterum publicae poenitentiae vice clericus delicti reus in monasterium relegatur, aut ad privatam secessionem, ut docent Leo Magnus loco cit. & Hieronymus epistol. 48. ad Sabinianum Diaconum lapsum, & praefens istud Concilium 22. & Aurelianense III. canon. 7.

3. Can. IV. Episcopis, Presbyteris, atque Diaconibus, canes ad venandum, & accipitres habere non liceat. Quod si quis talium personarum in hac fuerit voluntate detectus, si Episcopus est, tribus mensibus se a communione suspendat; duobus Presbyter abstineat; uno Diaconus ab omni officio & communione cessabit.

Agathensis etiam Concilii can. 55. sancit: Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus canes ad venandum aut accipitres habere non liceat. Eadem habet prohibitionem Matifonensis Concilii II. can. 13. Et obiter antiquitatem venationis observa per accipitres.

Can. VI. Presbytero, vel Diacono, sine Antistitis sui litteris ambulanti communionem nullus impendat.

Vide huc pertinentia quae superius congesti ad Aurelianensis primi Concilii can. 7.

4. Can. IX. Unum Abbatem duobus Monasteriis interdiximus praesidere, c. unum Abbatem 21. qu. 1.

Habetur iisdem verbis in Concilio Agathensi can. 57. Similiter & in Cabilonensi cavetur can. 12. ut duo Abbates in uno Monasterio esse non possint: ne sub obtentu potestatis simulas inter Monachos & scandala generentur.

5. Can. XI. Clerici sine ordinatione Episcopi sui adire, vel interpellare publicum non praesumant; sed si pulsati fuerint, (id est citati & in jus vocati) sequi ad saeculare iudicium non morentur.

Notabilis canon pro Gallicano Regno, in quo clerici saeculari iudicium subire compelluntur.

5. Can. XVI. Presbyteros propter salutem animarum, quem in cunctis operibus desperatis & decumbentibus haereticis si conversionem subditam petant, christumate permittimus subvenire. Quod omnes conversuri, si sani sunt, ab Episcopo noverint expectandum.

Vide similem superius sanctionem in primo Concilio Arausicano can. 1. Vide ibidem can. 2. utrum & quandoque Presbyter esse possit Sacramenti Confirmationis minister.

7. Can. XVII. Si Episcopus condito testamento aliquid de Ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit nisi vel tantum de juris proprii facultate suppleverit.

Hinc liquet, Episcopos (idemque de Presbyteris & Diaconis esto iudicium) potuisse quoque bona temporalia possidere, liberamque eorum habuisse dispositionem tum inter vivos, tum per ultimas voluntates. Ambrosius lib. 1. offic. cap. 30. sic ait: Sed & si quis Ecclesiam nolens gravare in Sacerdotio aliquo constitutus, aut ministerio, non totum, quod habet, conferat; sed operetur cum honestate, quantum officio satis est; non mihi imperfectus videtur. Ipse quidem perfectiora consilia fuerat consecutus, qui, ut scribit in ejus vita Paulinus, praedia quae habebat, reservato usufructu germana sua, donavit Ecclesiae, nihil sibi quod suum diceret, derelinquens. Et hanc rerum omnium abdicationem ad ipsum scribens Basilium eidem ipsi congratulatur epistol. 55. Te sancto Fulgentio Ruspenfi Episcopo istud perhibet testimonium Ferrandus in ejus vita cap. 7. Portionem substantiae propriae, quamvis haberet fratrem juniorem nomine Claudium, per donationem soli contulit matri, ut a matre postmodum si bene servivisset, donaretur & fratri. Testatur hanc quoque libertatem ipsa quae super sunt sanctorum Episcoporum testamenta, Gregorii Nazianzeni, Caesarii Arelatenfis, & Remigii Rhe-

8. Can. XXII. Si Presbyter aut Diaconus capitale crimen commiserit, ab officii honore depositus in Monasterium retrudatur, ibi tantummodo, quandiu vixerit, communione sumenda.

Francica Ecclesia in prima Synodo Aurelianensi can. 7. perpenis quibusdam circumstantiis clericos ad penitentiam admittit, eaque peracta, pristinis gradibus & officiis restituit. Burgundica vero Ecclesia in hac Epaonenfi, pristinam maluit servare districtionem, ut nunquam penitens quis in Clerum promoveatur: & si quando promotus lapsus sit, non admittatur ad publicam penitentiam, sed reliquo vitae decursu agat privatam, reclusus intra septa monasterii, ut statuitur canone isto 22. Quod poenitentiae genus decernit erga lapsos clericos S. Leo Papa epistol. ad Rusticum, inquit. 2. ipsamque tertium Aurelianense Concilium can. 7. atque ad id hortatur Hieronymus Sabinianum.

9. Can. XXVI. Laicis contra cuiuslibet gradus Clericum si quid criminale parant obicere, dummodo vera suggerant, proponendi permittimus potestatem.

Prodit Auctor vitae Pontificum in Silvestro, ipsum ordinasse, ne laicus Clerico crimen inferret. Proferunt etiam Alexandri Papae III. ex ipsius ad Salernitanum Episcopum epistola his verbis: De cetero laicos in accusationem vel testimonium contra clericum in criminali causa nullatenus esse admittendos, censura Sacrorum Canonum manifestius edocet, nisi forte suam vel suorum injuriam prosequantur. Nec tunc etiam ad testimonium, sed ad accusationem possunt admitti, c. de cetero, de testib. & attestat. Proferuntur a Gratiano canones adulterini ex supposititiis (ut nunc docti omnes post Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum agnoscunt) Pontificum Romanorum litteris, quas Isidorus, & post hunc Gratianus obtruserunt, ut sunt canones 1. & 3. causae 2. qu. 7. cum hac indigna viro sapienti ratione: Licet Episcopus sit inordinatus, quia pro meritis subditum disponitur a DEO vita rectorum. Ergo impune dimittendus est lupus ovile Christi depopulans. At vero illa prohibitio non potest non esse scandalosa, & Christo pastorum Principi contumeliosa, ipsi & Ecclesiae extitit, si ipsa scelera rectorum alit, & quae scandala manifesta pariunt, dissimulari vult, nec patitur accusari, vel salubriter corrigi. Certe melius iudicavit sacra Chalcedonenis Synodus sexcentorum Episcoporum, dum can. 21. ipsos etiam laicos admittit ad Episcoporum accusationem, ac contra eos testificationem, dum sint probate vitae illi accusatores ac testes: Clericos (inquit) vel laicos, Episcopos accusantes, aut Clericos, non indiscriminatim, nec circa inquisitionem admittit licet ad accusationem, nisi eorum existimatio prius examinata fuerit. Eadem est sententia Patrum Synodi hujus Epaonenfis. Idemque sapienter iudicavit sanctus Papa Gregorius lib. 2. epistol. 36. admittens etiam feminam ad testificandum de crimine Presbyteri: & refertur c. quoniam, de testib. attest. Ipseque Apostolus 1. Timot. 5. Accusationem adversus Presbyterum noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus.

Can. XXV. Sanctorum reliquia in oratoriis villaribus non ponantur, nisi forsitan clericos cuiuscumque Parochiae vicinos esse contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur. Quod si illi defuerint, non ante proprii ordinentur, quam eis competens ritus & vestitus substantia deputetur.

Can. XXVII. Ad celebranda Divina officia ordinem, quem Metropolitanus tenent, Provinciales eorum observare debebunt.

Can. XXVIII. Incestis conjunctionibus nihil prorsus venia reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestos vero nec ulla conjugii nomine prevalandos, praeter illos, quos vel nominare funestum est, (puta inter fratres & sorores) hos esse censemus, si quis reliquam fratris, quae pene soror prius extiterit, carnali conjunctione violaverit: si quis fratrem germanam uxoris suae accipiat: si quis novercam duxerit: si quis consobrinam sobrinave se societ; quod ut a presenti tempore prohibemus, ita ea quae sunt antea instituta, non solvimus. Si quis relicta avunculi miscetur, aut patri, vel privigna, id est filiastra concubitu polluitur. Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt inveniendi melioris conjugii libertatem.

Haec iisdem propemodum verbis habentur in Concilio Agathensi canon. 61. in Decreto c. de incestis, 35. qu. 2. Eadem innovat prohibitiones Concilium Parisiense V. c. 14.